

Q. B. V.  
DISSERTATIO ACADEMICA,

De

PHILAUTIA  
SANA.

Quam,

Consent. Ampl. Fac. Philosoph.

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO

PRÆCLARISSIMI DOMINI,

M. JOH. BERNH. Münster

Philosoph. Pract. & Histor. Professoris Regii  
& Ordin.

Candidorum examini subjicit, in Audit. Maximo,  
horis ante meridiem solitis, die 28 No-  
vembris, Anni 1696.

NICOLAUS GABR. MATHESIUS,  
Ostro-Bothnensis.

---

Impr, apud Jo, LAURENTII WALLIUM.

VIRIS

*NOBILISSIMIS & CONSULISSIMIS,  
PATRUIS nimirum, AVUNCULO, PATRIQ<sup>B</sup>  
suo charissimo, filiali observantia colendis;*

**DN. HENRICO REUWENSJEH**  
Judici Territoriali Wehmoënsi, & Inferioris Satagun-  
diæ æqvissimo.

**DN. ANDREÆ MATHESIO,** Judici  
itidem Territoriali, per Bothniam Orientalem pru-  
dentissimo.

**DN. NICOLAO BERGUDD**/ Secre-  
tario Dynastiæ per Bothniam eandem Orientalem ad-  
curatissimo.

**DN. JOHANNI TAMMELANDRO,** Curiæ  
Brahestadensis Assessori, & Mercatori urbis pri-  
mario.

**T**nunc publicè testatum irem,  
Vestrum, erga me, favorem,  
expressit, Vester ille, supra  
modum favorabilis in me ani-  
mus, allexit simul ingens Vestrorum bene-  
ficiorum cumulus. Hæc autem eo minus  
jam profiteri erubet, quo magis de meis  
promovendis etiam solliciti estis studiis. Ve-  
ruu enimvero, qvemadmodum hac ratio-  
ne, neque ex parte qvidem, eis possum di-  
gne ire obviam, ita debita Veneratione  
mentis, eum nunquam supplere intermittam  
defectum, qui spe ulterioris beneficij, hoc  
ut exiguum, ita certissimum gratissimi ani-  
mi munus, Vobis, O MÆCENATES  
Optimi, PARENTSq; charissime, do, dico,  
& dedico, nullus dubitans, qvin dextrè  
hoc recipiatis. Votum est: velit DEUS al-  
tissi-

eissimus, diu istum morari diem & vesperam, qvæ tantis PATRONIS, tuæque, PATER Optime, benignitati non minime decantandæ, lethales umbras inducat. Hoc inquam, is ex intimo pectoris exoptat adyto, qui Vobis, eâ quâ par est observatiâ, nunquam desinit esse devotus,

N. MATHESIUS.



## C A P . I.

§. I.

**L**udant licet, qvibus impiè & si-  
ne omni ratione persuasum est,  
quod nec natura potest justo se-  
cernere iniquum ; nec ulli, mor-  
talibus positi sint limites, intra  
qvos, actiones nostras metiri  
convenit; sed qvod omnibus ho-  
minibus nationibusque, jura po-  
fuerit & sanxerit ipsa utilitas, prout eandem flagitare  
visi sunt, & gentis cujusque mores, & peculiaris na-  
turæ genius: Equidem, consentiente universo pru-  
denter Moralium Doctorum choro, applaudente  
ipsa quoque veritate, fateri nobis incubuerit, cœleste  
illud depositum, atque radium æternitatis, qvo, verum  
â fallo, bonum â malo, justum ab injusto, disser-  
nere valemus, tantam decoris magnitudinem, pecto-  
ribus addere mortalium, ut vix centesimus qvisque,

A

hanc

hanc tam divinam dotem, condigne agnoscere possit; cum sane credere fas sit, tot parasangis hominem, infra dignitatem animalium rationis expertum, positum fuisse, si destitueretur exactissima hac actionum nostrarum mensura; qvot jam is idem, gradibus, felicissimo hoc suo munere datus, eadem antecellit. Concipiamus ( modo possibile sit ) hominem, ratione qvidem praeditum, sed tamen talem, cui nullam summus rerum conditor lancivit legem, ceu actionum suarum regulam aut normam; videbimus profecto, qvod ausu prorsus horrendo, modo in optimi sui creatoris ruere posset contemptum, modo sibi ipsi violentas & crudeles libere inferre manus, modo qvoque proximi sui, insultare innocentiaz, modo denique, nescio qvas, misericordiarum incurrere vices; idque eo saepius & gravius, qvod non tantum vehementissimis, adfectuum, huc & illuc rapientium vehatur fluctibus, sed & ad nocendum praeter ceteris animalibus sit instructissimus: verum, maximis illis calamitatibus, ex conditio- ne ejusmodi humana oriundis, hominem pro infinita suâ & clementia & sapientia, erupturus, Deus Ter. Op. Max., in mentibus illorum, tam facundum bonitatis semen, relinqvere voluit, ut huic unicè propemodum referendum sit, qvidqvid honestatis virtutisqve, in toto genere humano, amplissimas suas divinasqve explicare deprehendimus vires.

**A**dparet hoc ipsum adhuc clarius, dum mente  
obſervamus attentiori; qvod arctius stringente  
qvādam ac gravissimā teneamur obligatione, officiis  
noſtris erga DEUM, fungi piē; h. e. non ſolum re-  
ctē ſentire De Numine ſuppremo, de æternā ipſius  
existentiā, infinitis ejus attributis, & proprieta-  
tibus, ſed etiam reverenter omnes noſtras actiones,  
ad sanctiſſimam illius voluntatem, ritē componere,  
illumqve ut conditorem noſtrum ſapientiſſimum, &  
conſervatorem optimum venerari, idqve tam inter-  
nis noſtris cogitationibus, qvam cultu extero,  
ſecundum regulam mandatorum divinorum, per-  
fectiſſimam. Illud autem circa nominata hæcce, te-  
nendum eſt officia, qvod licet longē imparia ſint,  
ſummo atque infinito, illi DEO, ſufficienter pla-  
cando, duin intra sphæram naturæ, in valetudina-  
rio hoc mundo ſubſiſtunt; Nihilominus tamen, &  
ratio diſtitat, & Scriptura conſirmat, eadem non  
tantum eſſe firmiſſimum vinculum ſocietatis huma-  
næ, ſed & viā certiſſimā nos deducere poſſe, ad  
inqvirendum perfectiorem illum modum, DEUM  
verē cognoscendi, religioſe colendi. Præter divina  
hæc officia, qvæ ex tenore Juris Naturalis DEO  
Ter. Op. Max. debemus, longē lateque per o-  
mnia vitæ genera, ſuum circumferunt uſum, nec  
minus alia, ab hominibus, tam respectu ſui ipſius,  
qvam intuitu aliorum præſtanda. Qvamvis enim,

in corde hominis cuiusvis, clare satis, & stylo prorsus indelebili, sint expressæ leges illæ, qvæ nos docent neminem esse lædendum, Et, si alicui damnum acciderit, qvod revera nobis imputari potest, à nobis dandam esse operam ut idem prompte resarcatur & per omnia, utilitatem proximi atque commodum, quantum in nobis est, promoteamus; Experimur tamen in nobis ipsis, tenerrimum qvendam erga nos ipsos affectum; qvem sanè, si bene attendamus, adhuc magis anxie nobis officia illa, qvæ nosmet ipsos concernunt, nobis commendari deprehendemus, ac alias cetera, emolumentum alterius spectantia; illa, scilicet, qvæ ex præscripto. J. N. obligant hominem erga hominem, officia, sese præcipue exerere solent, vel circa Philautiam; vel circa ἀνταρκτικήν; vel qvoad appetitum dominii, vel denique appetitum societatis. Qvorum momentorum primo, qvoniam Titulus hujus opellæ egregiè ornatur, ideoque illud nobis cum primis hac vice, per divinam gratiam, exponendum suscipiamus.

### S. III.

Ipsius proinde vocis Philautias originationem, (ut rem juxta Philosophorum decreta, ab Etymologiâ exordiar,) qvod concernit, utique cujvis, saltem non summè rudi constat, illam non acceptam referendam esse Natalibus latinis, cum deduci videatur ὁ τῆς Φίλιας, & pronomine ἀυτός, ἀυτή, ἀυτό, i. e. ipse, ipsa

ipsa, ipsam; adeò ut vi ipsius vocis, nihil aliud notet Philautia, qvām tenerimum qvendam hominis cuiusvis, erga se ipsum amorem, & adfectum dulcissimum. Qui hominem, teste Excell: Zentgravio, non sibi ut animal, idqvod naturalis ille sui amor facit, sed ut hominem commendat; Operosam præterea, plurium synonymorum coacervationem, qvā apud Moralium Doctores Auctoresve alios, passim Græcis. Philautia dicitur; latinis vero ut jam innuebamus, amor sui ipsius, ( licet in hujus appellationis, nimirum philautias, tanq; pravæ sæpius, à multitudine pervertè semet amantium, locum, Arist. lib. II. Mag. Morali: Cap. 14. videtur voluisse substituendam esse φιλαυτίαν) hic scienter & consulto, brevitati studens, nunc qvoque omitto.

#### §. IV.

Illud autem monere, è re nostra esse non alienum videtur, qvod qvemadmodum duplex, penes mortales deprehendi solet Philautia, licita una & recta, ex incorruptissimo divinitatis fonte, & lege honestatis fluens; altera verò perversa atque corrupta, ex præpostero sui ipsius amore prognatâ, adeoque honestioribus moderatisque pectoribus disconveniens admodum; ita & hanc, per omnia vitiorum sese diffundentem genera, imò, qvæ si rem exactius perpendas, odium potius sui, qvām amor dicenda est, qvia nos magis magisque à statu integratatis abducit, ceu indignam prorsus judicamus, in qvā dilucida,

dandā, tenues licet nostri occupentur ingenii labores; illam verò, tanquam moderatricem virtutum plerumque omnium, à rectâ protectam ratione, sufficiente DEO Triuno, vires, in seqventibus paulo fusius, animo sedet explicare.

## CAP. II.

## §. I.

**I**nstituti proinde atque promissi nostri memores, methodo Philosophis usitatâ, pergitimus contestim hic in limine dissertationis, ad definitionem Philautiæ realem, quam exhiberi posse putamus tales; Philautia recta, est tenerimus quidam affectus, mediante lege Naturali, à DEO humanae menti instillatus, quo homo modo debito, vel circa respectum ad alium aliquem se amat, vel habito respectu, in amando præfert, aut postponit se alii, in cuiusvis agentis rationalis, & consequenter, commune quoque totius humani generis bonum & conservationem: In qvâ definitione, omnium primo conceptum notamus convenientiæ, seu ipsum genus, quod absolvi existimamus voce affectus; esse autem hoc genus legitimum appareat, ex ejus universalitate; qva de multis prædicari speciebus, aptum natum est: Effertur autem Adfectus non solum de amore qvovis, & erga se ipsum, & erga alios licito & illicito, sed etiam de aliis, utpote ira, odio, lætitia, tristitia, ceterisque ejusmodi animi passionibus. Additur præterea, ne quis dicat, nos adhibere heic loci, genus maximè remotum, qvod hic Adfectus, mediante lege Naturæ, hominis rationi sit impressus. His namque

que verbis distinguitur Philautia, quam nos jam meditamur, à studio, qvo bruta, cœco qvodam impetu, aut nativo instinctu & propensione, in vitæ suæ animalis feruntur conservationem, defensionem & commodum; certe, qvemadmodum adjuvat (sunt verba supra laudati Dn. Zentgravii) ad cognoscenda J. N. officia, qvæ sibi ipsi homo debet, admirabilis ille amor, qvo qvis seipsum proseqvitur, ita hic est considerandus, non quatenus ad prima naturæ præcisè refertur & pure naturalis est; sed qvatenus à recta ratione, qvæ honestatis & animi potiorem curam habet, veramque sui boni notitiam homini suppeditat, dirigitur & perficitur. Et qvanquam omnium ferè Philosophorum meditationibus, dignissimum semper sit judicatum, hoc axioma: Tota natura est conservatrix sui: vel ut Plato dicit, φίλος ἀνθρώπος ἀνθρωπός Φύση. amicus sibi quisque natura est; Attamen non pauci (forte & illi, hoc in negotio infelices,) fuerunt, qui ostendere conati sunt, inclinationem illam corporum, seu sensus, seu rationis expertum, hisce iisdem, mediante aliquâ Lege Naturali inesse. Qvippe animalia bruta (ut nihil jam dicam de plantis) dum in sui conservationem feruntur, tum fieri id clarum est, non ex aliquo Jure sibi insito, cum ejus capaces ob defectum rationis non sunt, sed tantummodo ex cognitione quadam inferiori, sensuali nempe & impulsu pure physico. Secundo observanda est, in exhibita illa definitione, differentia, sive conceptus disconvenientiae, quem absolvunt verba definitionis residua, Philautiæ causas, objec.

objectum & finem indigitantia. Qvæ etiam, in majorem materiæ illustrationem, ulterius explanari merentur.

## §. II.

**Q**uod itaqvè causam Philautiæ universalem attinet, tum illa qvidem explicite qvoqve hic innuitur, quando definitio dictitat, hunc affectum mediante lege Naturali, à DEO hominibus esse instillatum; notum enim est dictam hanc legem, nullum agnoscere alium Auctorem, nisi solum Trium, qui totius generis humani conscientias, primariò obligationi efficacissimæ, subjcere valet. Postqvam autem in Cœlesti, Sacro Sanctæ Trinitatis Consistorio, ab æterno fuit decretum, qvod homo haud tantum rationis particeps crearetur, sed & talis foret, qui instar fidelissimi cuiusdam patris familias, qvam diligentissime curam ageret omnium donorum, à creatore concessorum, qui etiam totis viribus in id incumberet unice, ut laus atqve gloria Conditoris Optimi, etiam per posteros, in multam seculorum catenam propagaretur; utiqve reqvirebat. Summi omnisapientia infinita, ut ad sanctissimum illum finēm obtinendum, homo non minus appetitu hocce semetipsum conservandi svavissimo, qvam aliis eminentioribus prærogativis excelleret, qvo semper desiderio tangeretur magno, non solum manendi superstes, sed & omnibus illis vacandi negotiis, qvibus semetipsum à DEO & natura destinatum esse sentiret. Hinc mirari sufficienter non possumus, hominem, simul

simul atque natus est, in promptissimam, sui tendere conservationem, interitumque cane pejus & angve fastidire & avesari; vires enim qvæcunque in homine comparent, eo ex constitutione divinâ diriguntur, ut illum in statu qvo est conservent; & ad suam perfectionem, qvantumcunqve fieri possit, promoveant.

## §. III.

**E**xcepit jam occupationes hasce à nobis præmissas, subleqvens consideratio materiæ Philautiæ, competentis; sed qvandoquidem hæc, cœu ex numero accidentium, materiam strictè sic dictam agnoscere nequit, ideoqve oculum advertemus ad illam qvæ inscholis objectiva audit, cum antea in definitione dictum sit, qvod aliter se habeat Philautia considerata absolute ad hominem ipsum, aliter autem relativè in ordine ad aliud; ita qvoqve duplex objectum occurrit, reale unum; & personale alterum: Certè siue enim suis hominem ipsum jubet Philautia debitis ac honestis invigilare necessitatibus; siue etiam ad proximi attendere omnino mandat, ut toti qvoqve societati bene sit, utilitatem ac commoda: nam si unicuique liceret, sine omni juris discriminè, & prout cœcus quidam unumqvmqve raperet sui amoris impetus, de vita sua, de moribus, de victu, & amictu, addo etiam de exercitiis cultus divini disponere, utiqve ruinæ præsentissimæ suum obijceret caput, universa generis humani moles; nam qvilibet suo indulgendo genio, & negligendo ordina-

ta media, ad vitam socialem commode tolerandam; necessaria, societati valde nocet, eò qvod civem eidem frugi subtrahere atque invidere videatur; Contra verò ubi qvælibet societatis membra, ad recta philautias decreta, suas actiones tam publicas quam privatas, in totius corporis socialis incolumitatem unanimi consensu conspirare patiuntur, non potest non illud ad summum perfectionis fastigium, felicissimo ascendere gradu. Hinc Phosphorus ille Philosophorum Aristoteles, ubi omnes tendere debere intellexisset probè per oculatam illam philautiam, non tam ad conservationem & bonum sibi in individuo solum, quam ad totius consociationis humanae, collectim sumtæ in hæc nonnullibi erumpit verba; Qvod is qui recte φίλαυτος est, ipse proficiet agens honesta, & alios juvabit; perverse vero φίλαυτος inquit, & se ipsum lædet, & vicinos, vitiosos affectus sequens. Cæterum dum haec tenus objectum officiorum ex philautia resultantium, considerantes notavimus, eandem respicere non tantum hominem ipsum cui inhæret, sed quoque extra se se alienum, non est quod quis solummodo, proximum nostrum hic nos intelligere existimet, sed comprehendimus sub verbis hisce relativis etiam DEUM tanquam nobilissimum, & summum nostri amoris objectum; Qvippe æternum illud divinitatis Numen sicut teste valent: Alb. in compend. I. Naturæ sui ipsius est amantissimum (φίλαυτον) qvia nihil in se, præster se, hoc est bonum absolute summum comprehendi,

dit, ita quoque honori suo primario prospexit, ad eoque omnia nostra dicta atque facta quin imo & philautiam rectam nobis insitam, ad laudem & gloriam suam præcipue referendam esse voluit; Certè, si cogitabimus, nihil quidquam Numini illi sanctissimo, omnipotenti atque omniscio, placere posse, nisi quod castissimum illius piè sapiat amorem; æquum quoque esse, censebimus, ut quemadmodum ex mari omnes occulto meatu oriuntur fontes & vicissim per flumnum alveos in mare se exonerant sic etiam cuncti, in præcordiis nostris æstuantes, sinceri amoris fluctus, ex immenso Divinæ Majestatis Oceano primitus exuberantes, in idem iterum necessario redenant remeantque, ceu vastissimum pelagus,

## §. IV.

**E**xhibet sese proporrò ipsius Philautias Forma, nunc altius quoque pensitanda, non tamen hic solliciti sumus de ea quæ dici svevit physica, quam neque habet, sed de Ethicâ entibus moralibus propriâ, dicimusque eam consistere in intrinseca omnium illorum actuum & officiorum honestate & rectitudine, ad quæ jure philautias naturaliter obligamur. Numirum non alia ratione per philautiam, nostræ cupimus felicitati prospectum, quam quâ aliorum commodo simul consulatur; utpote quod cum nostrâ, velut exiguae partis intuitu totius beatitudine, intendi procurarique potest: quo autem no-

minata illa forma se recte habeat prudentia Philautiam regat necesse est; unde Seneca; qvis descernere bonum & malum, pravum & rectum poterit, nisi qui sapiens fuerit. Stultus autem male facit, quia bonum & malum quid sit ignorat; Ideo peccat, quia non potest prava & recta discernere, non potest igitur nec stulto justitia, nec injusto sapientia convenire. Ergo non aliter corpus curandum, quam quemadmodum patitur debita animi cultura: nec de propria tantum salute, ita sumus solliciti ut universæ familiæ incolumitas periclitetur; Familiæ quoque nunquam ita querenda utilitas, ut lœdatur civitas illa magna, qua omnes mortales, vinculo universalis cujusdam amoris arctissimè inter se constringuntur. Qvod tamen, ut semper optato fiat, præterquam quod nobis insitam philautiam, DEI philautiæ, quantum possibile est, studeamus assimilare, etiam adcurata requiritur prudentia, multiplex usus & experientia solida, præcipue cum non tam facile sit intellectui humano, quam maximam partem miserrimè corrupto, exclusis hisce adminiculis dispicere omnia illa, quæ præcepta juris naturalis pro actionibus nostris tam feliciter instituendis, salubriter destinarunt.

## §. V.

**Q**vis denique sit finis philautias rectæ, licet non adeo obscure, ex iis quæ in superioribus dicta sunt, possit colligi; Nihilominus nec pigebit hic eadem

eadem repetere qvod s<sup>v</sup>a<sup>i</sup>ssimus ille erga nos i-  
plos à jure naturali imperatus adfectus, a DEO T:  
O: M: tenerrime sit nobis commendatus, in conser-  
vationen & nostri, bonorumque nobis competenti-  
um, & aliorum juxta nos viventium; Vel si rem  
clarior explicare placuerit; Primarius philautias rectæ,  
ad qvam collimat unice, Scopus est, ut decenter  
amore nostri ipsius utendo bonum qvodlibet, tam  
animi qvam corporis, qvin & fortunæ, proseqvarur,  
mala vero declinemus, ut qvæ sciamus, alteri, ex a-  
more nostri perverso, non esse faciendum qvidqvam,  
qvod, nobis vicissim ab eo fieri non volumus; Cæ-  
terum qyntumvis præceptum illud sicut generalis-  
simum ita verissimum perpetuo in aures susurret no-  
stras; Charitas ordinata incipit à se ipsa, verum tamen  
non desinit & finitur hæc eadem, ubi suum accepit sum  
sitque initium, sed progreditur longius extra se, &  
ipsum naturæ Auctorem, & universum genus hu-  
manum latissime complectitur; Verbo; Ideo nos  
philautiæ dono beavit ornavitque Creator, inquit  
solidissime Augustinus ut ordinatam habeamus di-  
lectionem, qvam, & ceu cynosuram seqvamur, ne,  
aut diligamus, qvod non est diligendum, aut non  
diligamus, qvod est diligendum; Aut amplius dili-  
gamus, qvod minus est diligendum; aut æque di-  
ligamus, qvod minus vel amplius diligendum, aut  
minus & amplius, qvod æque diligendum est: vide-  
atur Agust: de doct: Christiana lib. 1. cap. 26.

## C A P. III.

§. I.

**E**xposuimus in superioribus definitionem philautiae, & nominalem & realem, indigitavimus pariter in sequentibus latius explicandam, nunc qvæ propter ad prioris generis officia, qvæ absolute ipsum concernunt hominem, primo progrediamur; & qvandoqvidem, nulla unquam res, vel in suspicionem tantum, nobis revocare possit, illam scientiam, qvæ novimus partes essentiales, duas esse, corpus nimirum atque animam ex qvibus immediate totum nostrum confabricatum est opificium, totusque adeo componitur homo, idcirco quoqve circa eas non minus ac partes ejusdem integrales, bonaqve etiam, qvæ eis insunt tam animi qvam corporis, qvin & utriusqve, immensum quantum suas experitur vires philautia, dum ad diligentem, nobilissimæ animæ culturam, summa ope contendat; corpus moderatis laboribus exerceat, alimentis nutriat, adversus cœli injurias vestimentis tegat; somno ac vigiliis tempestivis reficiat; Talia autem omnia, qvia homini curæ sint cavebit ideo sollicite ne vires, immoderata aliquva trangantur intemperie, hac enim ratione aper-te bellum indecetur naturæ humanæ, qvod etiam revera fit, ab omnibus scortatoribus, Helluonibus, hominibusqve voracibus. Cumque ita jam sit comparata mortalium conditio, ut si conservari velit,

variis

variis adjumentis externis carere non possit utpote, cibo, potu, vestimentis, imo & actibus venereis quæ sane omnia quanto magis ad naturæ nostræ conservationem, & speciei humanæ perpetuitatem sunt necessaria, hoc majore cum titillatione sensuque voluptatis sese nobis insinuare solent, non ideo ut exinde quis concludat, hæc media adhibenda propter dulcissimas illas sensationes; Sed tantum modo propter fines illos naturales, a DEO & natura ad continuationem speciei & individui præ ordinatos, prot ut optime etiam judicavit Sapientissimus ille Seneca Epist: Cxvi. Scribens: *voluptatem natura necessariis rebus admisicuit, non ut illam peteremus, sed ut ea sine quibus non possumus vivere gratiora nobis, illius faceret accessio.* Qui vero sodalitio combibonum & edacium, in caute sese manciparunt, illi fines legitimos, à nobis jam nominatos non observantes, ut plurimum corpora sua, nimia & detestanda onerant ingluvie ut cibus potusque supra modum ingestus concoqui & in chylum verti non possit; Unde perplurima oriuntur vitia, quæ per totam corporis fabricam disseminantur, & nec in secunda nec in tertia concoctione corrigi possunt.

## §. II.

**Q**uamdiu corpus & anima nostra, in statu durant unionis, potest quidem hæc perplurimis fungi officiis, sine adminiculo illius; illud vero, aut parum

rum, aut nihil peragere valet, sine hac, qvin &, longe minoris dignitatis quoque sunt actiones illæ quas tribuere solemus corpori, quam ut in comparationem venire mereantur, cum nobilissimis illis actibus mentis, per quos solum modo cum DEO nostro unimur, a brutis vero segregamur animalibus, præterea multa nobis suppetunt ex ipsa ratione ( ut præteream evidentiam illam quæ ex sacris pandectis hauriri potest ) argumenta animalium nostrarum immortalitatem clare evincentia; Nec ulla firma ratio excogitari potest, quæ hanc opinionem satis firmam destruere valeat. Nam quæ perire cernimus ea interitum suum nanciscuntur, ex contrario validiori, ut frigus propter calorem; aut ex destructione subjecti, ut accidentia sublati substantiis, aut defectu causæ efficientis, ut lux destructio sole nullum autem horum de anima nostra potest dici, non primum: quia nihil in tota rerum natura reperitur, quod animæ est contrarium physice loquendo; imo ea est hujus ejusdem natura, ut quæ inter se contraria sunt, ea pariter eodem fere tempore, suo id est intellectuali modo absque ulla alteratione capiat. Non secundum: quia nec subjectum est ullum creatum, à quo dependeat natura seu existentia animæ; si enim aliquod esset, id esset corpus, humanum, at id non esse apparet ex eo, quod cum vires corporis agendo lassitudinem non contrahit; item lassitudinibus eadem a nimia excellenita rei objectæ

jectæ, ut visus à solius luce ; At anima qvo excellentius contemplatur objectum, eò redditur accidentaliter perfectior. Qyare cum anima, in operationibus nobilissimis à corpore non dependeat, ne esse quidem ejus, pereunte corpore, periclitari potest. Nec tertius ille intereundi modus hic locum habet, cum non dari potest causa aliqua effectrix, à qua anima semper emaneat. Non enim parentes dixeris, cum iis mortuis, vivere filii, dummodo hosce habuerint, queant. Si autem aliquam animæ velimus esse causam, non potest illa esse alia, quam prima illa atque universalis, quæ ex parte potestatis, nunquam defecit, ex parte autem voluntatis eam deficere, hoc est velle DEUM, ut extingvatur anima, nullo potest probari argumento : Hæc omnia pro nobilitate, immortalitate, & animæ præ corpore præminentia, paulo fusius adduximus, ut hisce, tanquam fundamento validissimo, superstrui possit, longè majori cura, ex instinctu philautias rectæ, animæ studendum esse, quam corpori. Omnim autem primo, ab ipsa mox infantia, mens est reclinanda in se ipsam, & paulatim, pro ut tulerint tenellæ animæ vires, docebitur sollicitè attendere, infiniti illius Numinis supremi dona, rudera intelligo imaginis Divinæ, sive semina illa, ex quibus benè excultis, tam fœcunda postmodum virtutum expectanda est fruges. Inter illa autem, quæ penes nos, inter principia nobiscum nata, quam maximo elucent splendore, facile primas sibi vendicat partes, notitia de æternâ DEI existentia, de immensâ ipsius erga

genus humanum bonitate, quam innumerabilibus nobis demonstravit beneficiis, nempè creatione, conservatione, omnisapientiæ totius universi gubernatione. Qvorum singulorum fidelis consideratio, si tenacissimum in nobis exciteret amorem, erga creatorem atque conservatorem nostrum, DEUM T. O. M. non sanè erit mirum: Præterea, docendus maximo-perè est animus, etiam de aliis DEI attributis, ut de justitia, omnipotentia, omniscientia & cæteris; quibus bene perspectis, religio oritur atque metus in animo, ne leges nobis præscriptas, facile transgrediamur, postqvam itaque homo certior factus sit, quod DEUS existat: sitque totius mundi conditor atque conservator, & conseqventer adorandus atque colendus: Non erit illi difficile colligere, qvod si DEUS justus est, utique non patitur delictum impunitum, si omnipotens est, utique nullius tanta erit potentia, ut illius vindictæ possit resistere; si denique omniscius est, utique nullæ tantæ erunt tenebræ, qui peccatorem possunt abscondere, aut pœnam omnipotentis eludere; In hanc rem, egregia admodum sunt hæc verba Boetii de consolat: philosoph: *Magna nobis necessitas incumbit probitatis, cum degatis sub oculis judicis omnia Cernentis.* Nec non Grotii ad librum sapientiæ Cap. 12. Qvanquam, inquit, magnifice dicunt quidam, honestum per se expetendum; tanta tamen in animo est vis eorum quæ conspicimus, ut nisi adsit de divinâ providentiâ, & quidem facta hominum repensante, persuasio, simulque leges quedam, qua in rectam viam homines dirigant, fieri non possit, quin extra orbitam

bitam evagentur, & quidem s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> graviter. Nam ut vaga  
est hominum ratio, ubi adfectus & blandientes affectibus  
mores accessere, facile reperit rebus pravis velamenta, obstatque  
sibi donec plane obsurdecat.

## §. III.

**V**erum quidem illud est; qvod raro egregium ali-  
qvod aut excellens opus, ad bonum commune,  
animus sine fulturis corporis conferre valet, ideoqe  
hanc ob causam, non exigua ejus sit nobis habenda  
cura; cum tamen illa sit hominis indoles, ut vires  
dotesque corporis, saepius illi sint nocumento, qvam  
alias commodo, nisi fideli & delecto aliquo, virtu-  
tum, muniantur atque regantur satellitio, virtusque  
sit unicum fundamentum & sola norma, qvâ homi-  
nis metiri tenemur existimationem, cuius quoqve  
nunquam interruptum exercitium, Conscientias no-  
stras pacatas civiliter reddere valet. Hinc Philautia  
iterum recte disposita concludit, longe intensiorem  
operam virtutibus moralibus, ac aliis bonis, seu cor-  
poris, seu animi naturalibus, & dotibus ingenii, esse  
locandam, ita tamen ut nec vitæ virtus, nec virtu-  
ti quantulæcunque promiscue postponatur vita.

## §. IV.

**S**ed dum nobis sit sermo de vitâ, in cuius termi-  
nos qvam felicissimè prolongandos, nullas non im-  
pendere solet curas ipsa natura; operæ pretium vi-  
A 2 detur;

detur; nonnihil attentius diligenter, num aliquod  
 jus nobis in vitam nostram competit, & quousque  
 se illud extendat? sive, num, aliquis licet ausu pro-  
 priu, se ipsum vitâ eximere possit? Imprimis au-  
 tem, antequam aliquid certi heic statuatur; & ut sta-  
 tus quæstionis formetur legitimè, præmonere volo,  
 quæstionem non esse de hominibus ejusmodi, qui  
 morbo aliquo sunt corrupti, usum rationis impedi-  
 ente; nec de furibundis; cum nec horum, nec illo-  
 rum actiones fluant, ex proæresi; undè nec eatenus,  
 bonitatis vel malitiæ notâ affici possunt, ratione cau-  
 sæ. Sed tantum hic quærimus; an aliquo funda-  
 mento e natura petito, illorum stabiliatur sententia,  
 qui ceu licet, destinato consilio, violentas sibi infe-  
 runt manus. Multi sunt pro adfirmativâ hujus quæ-  
 stionis pugnantes, dum nimirum quis, vel metu im-  
 minentis mali, vel quod fortè si superstes manferit  
 in contemptum DEI vivere cogatur; aut ob vim illa-  
 tam pudicitiae, captivitatem, servitutem, vel ob fa-  
 mem, aut senectutem, aliave ejusmodi tremenda, li-  
 berum mortis capit arbitrium: verum hæc sententia  
 toleranda non est; Quid namque facile concedat,  
 longè imbecilliores suas esse vires, quam ut vel sibi  
 ipsi vitam dare, vel datam ad momentum temporis  
 tantum, sine peculiari & gratiose DEI concursu atque  
 conservatione, sustentare queat; DEUS autem T.O.M.  
 est, qui nos in hanc lucem ex nihilo produxit, & ve-  
 lut in statione constituit, unde præter ipsius mandatum  
 & dispositionem paternam transfilire, sine summo sce-  
 lere

lere nullus potest. Et sanè, si benignissimæ suæ voluntati, unicè reservatum hoc jus non vellet, nescio quid sibi velit, tenerrimus ille adfæctus, quo laxatis quasi habenis, ad vitæ tendimus conservationem; illaque omnia velut nobis infestissima insignem nobis incutiunt horrorem, quæ periculum aliquod eidem intentare videntur. Semper itaqve præstolandum est beneplacitum ipsius; à quo omnes nostræ actiones dependent, inqve cujus gloriam, hæ sunt dirigendæ; cogitandum quoqve nos non natos esse tantum nobis, sed quoqve societati, cui se subducere, sine notâ injuriæ, nemo valet. Qvod verò concernit, præcipuam illorum rationem, qui decernunt, vitam potius esse amoliendam, quam impiorum ludibrio, scelestisque gesticulationibus relinquendam: Quemadmodum fecit Lucretia vim à Sexto. Tarquinio passa, & ferro se interimens: tum sciendum, ejusmodi suicidas, juri & philautiæ naturali, quantum in illis est, inferre bellum; præterea hic, si usquam alibi locum habet, illud, quod, nimirum non sint facienda mala, ut inde eveniant bona; nec non aliud quoddam Ethicorum; ex duobus malis moralibus, neutrum est eligendum. Agnoverunt hoc ex gentilibus tantum non omnes; Audiamus Arist: ad Nicom: L:iii. c.vii. dicentem: Mori autem, vel ut paupertatem, vel amorem, vel molesti quidpiam fugiamus, fortis viri minime est; sed potius timidi: Quippe cum labores fugere, mollities sit.

**D**ictum quidem fuit supra: mortales, affectu qvocdam delicatissimo, maximeque benevolo ferri, non tantum in partes essentiam suam constituentes, sed etiam in omnes qvoque illas, qvas integrales vocamus, adeo ut qvemadmodum nullum membrum nobis frustra sit datum, omnesque perfectioni hominis inferuant; ita etiam quicunque aliquod horum demoliri adgreditur, naturæ toti injurius esse videatur; Nihilominus tamen veræ non repugnat Philautiæ, flagitante ita summa necessitate, aliquam corporis particulam, ex qvâ tamen non tota dependet vita, ne pars sincera trahatur, rescindere: Notum enim est, ex scholis medicorum, morbos nonnullos ita comparatos esse, ut non unicè subsistant, in peculiariis partibus qvas occuparunt, sed omnem medendi artem, magis magisque, proxima qvæque membra invadentes corruptentesque, eludant, donec totam substantiam corpoream miserè exederint; eligendum itaque est in casu ejusmodi, ex duobus malis, qvod minimum est. Qvandoquidem veræ Philautiæ magis repugnat, totam evertere essentiam, qvam ignobiliorē qvandam partem.

## C A P. IV.

## §. I.

**S**icut animalia cuncta, qvæ juxta nos constituit natura, aciei mentis oculorumque illa subiiciendo, in plurimis, ne dicam singulis invicem convenire, repe-

reperimus, sic etiam depræhendimus, nobilissimum  
 illud omnium, humanum scilicet genus, summa inter-  
 se esse similitudine; eodem unum æqvè ac alterum  
 gaudere ortu, eisdem constare principiis, & partibus  
 parili artificio dispositis; Hinc non oblcure colligere  
 possumus, qvod identitatem naturæ, collimatio ad u-  
 num eundemque scopum in hac vita civiliter obtinen-  
 dum, inseqvi debeat. Imò verò, si rem adhuc ac-  
 curatius inspicimus, constabit, nec causam aliquam  
 subesse, cur infinitam hac in parte discrepantiam su-  
 spicemur, qvin potius statuamus, tantam ob conve-  
 nientiam sangvinis, indolis, intentionum, Philautiam  
 quam sibi ipsi debet homo, regulam esse, normam  
 ac cynosuram amoris, qvam proximo exhibere nos  
 decet: Non itaque erit difficile judicatu, omnia il-  
 la, qvæ nobis sunt revera bona, aliis qvoqve profi-  
 cua fore; quæ verò è contrario nobis displicant, vel  
 ruinam intentant, ea apud alios etiam, mala cen-  
 seri: Ad hæc tenendum, quæ nobis sunt absolute  
 necessaria, illis nec alios carere posse, cum omnes æ-  
 quali tangantur sui amore; unde limpidissimo quasi  
 rivo fluit, non illa esse à nobis facienda, aut jus qvodpi-  
 am nobis adserendum in iis, qvæ totam illam feli-  
 citatem, quam nobis ex ope & conversatione aliorum  
 sperare potuimus, turbare & evertere videntur, sed  
 qvæcunque ab aliis expectamus, illa qvoque eisdem  
 præstare debemus. Et sane nescio, qualis esset in-  
 solentia, temper aliorum poscere auxilia seu ministe-  
 ria, & nihil operæ in illorum commoda, ritè promo-  
 venda

venda reciprocè dispensare velle. Menſurabit pro-  
indè Philautiam erga proximum, amor cuiuslibet  
erga ſemet ipsum.

## §. II.

**S**equitur dehinc ut ulterius disquiramus, in quo præ-  
cipuè suas exerceat erga alterum vires, ipſa Phi-  
lautia recta; In cujus rei penſitatione dum occupa-  
mūr, animadvertisimus, illam eandem, propenso admo-  
dum gradu, inclinare naturam nostram ad prosecu-  
tionem bonorum qvæ unquam facere poffunt, ad hu-  
juſ, ſeu commodum, ſeu conservationem, & quo utili-  
us, ſibi aliquod eſſe dictitat, eò etiam majori rei il-  
lius potiundæ, ( observatis tamē justis prudentiæ  
regulis ) flagrat dederio; E contrario autem, omnia  
illa, qvæ periculum aliquod aut malum, ſive directe,  
ſive indirecte invehere videntur, quantum in ſe eſt, a-  
versatur, tanquam illa, quæ fini & officiis noſtris, ad  
quæ creati ſumus, maximè ſunt inimica. Unde  
quoad membrum prius, qvod in prosecutione boni  
consistere innuebamus, omni niſu atque conamine  
Philautia nominata, primo fugit avaritiam, utpo-  
tè pravam concupiſcentiam, bona aliena, per fas &  
nefas, ſibi ſubijcientem, gnara, ſecum adverſā fronte,  
quam maximè collidi; Nam qui inflatiibili illa cupi-  
dine habendi cruciantur, insuper habere frequentiſ-  
ſimè ſolent, an iuste, an titulo parum honesto, aliorum  
immineant facultatibus; non ſibi ob oculos ponentes  
illud

illud Aristotelis, quid is qui recte φίλαυτος est, is vult sibi ipsi bona atque agit. Ergo & aliis: qvia amicus est alter ego. Ex hoc ipso fonte, omnis humanitatis promptitudo, & beneficiendi necessitas, pleno fluunt alveo scaturiuntque.

## §. III.

**E**t qvoniam raro admodum, nobis in suspicionem tantum, ne dicam, in diuturnam qvandam oblicationem, nostram venire existimationem, patitur justa Philautia; sed omnem in id intendit nervum, ut honestatem nominis nostri, fama circumferat illætam; ita præcipue charitas, respiciens proximum, præterea in bono proleqvendo, studiose cavit sibi ab ambitione & nimia gloriæ appetentia, sciens, hanc immoderatus appetitam & insolentius usurpatam, semper & ubique nocuisse; qvare proximum nostrum prudenter reputemus, ceu nobis æqvalem, nec eundem unquam superbiæ aura inflati, inquietare gestiamus: Cætrum, qvamvis alium præ aio, qvoad munia digniora, in republicâ administranda, honores & promerita prœmia, non parum antecellere facinat qvandoque fortuna, & propria cujusque virtus; Nihilominus tamen, æqualitatem qvandam servant incorruptam, non tantum singularis illa, qvæ in nomine hominis existit dignitas; Sed & libera legis naturalis communio; Etsi proporro multa multis invidere videatur novercans natura; qvæ tamen aliis indulgere

nōn fatigatur, in nullum tamen tam parca existit, ut eundem, communi jure cum aliis spoliatum, alienæ ambitionis prædam, indifferenter esse voluerit: Nunquam itaque dignitati suæ contrariam, judicant sincerè φίλαυτοι, vel tempestivam suæ fortis observationiam, vel etiam aliquando honestam quandam suæ eminentiæ submissionem, quæ non parum consistit in reflexione, quam facimus super infirmitate nostræ naturæ, & erroribus, quos olim potuimus commissoe, aut deinceps possumus committere; qui non minores sunt iis, qui ab aliis committi possunt: Sicut bene admodum philosophatur, olim Magnus ille Moralista Dominus Pufendorfius.

## §. IV.

Sed nec alteram illam viam, in declinando malo occupatam, qvâ incedit φιλαυτία, prorsus prætereamus, venitqve nomine defensionis sui: scilicet, ex eo, quod natura, adeo fideliter quemque sibi ipsi commendet, oritur quoque obligatio, ex ordinato illo amore, & potestas te suaque justè defendendi, contra inhumanos quosdam invasores. Qvoniam enim, ut simpliciter in Capite superiori tertio, vita nobis, cum omnibus illam conservantibus, à DEO T. O. M. sit collata, ideoqve tanqva nobilissimum quoddam depositum & commodatum, eandem, summâ fide observare & custodire tenemur, donec DEUS ipse quandocunque, & quocunque modo, Cœlesti suæ bonitati placet, eandem velit repetere: potest autem secun-

ēundum decreta Moralistarum, defensio sui licita in-  
 stitui, modis præcipue duobus, vel sine læsione, vel  
 cum læsione invasoris: prior utitur mediis variis, ut-  
 pote fugâ, minis, deprecatione, seu prudenti mitigatione  
 ejus, qui periculum intentat: accedat nonnunquam  
 dissimulatio etiam injuriarum; Interim tamen, cavere  
 debet quilibet sibi ab injustitiâ, ne plus quam par est,  
 adversario favendo, propriæ innocentiaæ qvis vim in-  
 ferre patiatur illegitimam. Sed difficilius est, sen-  
 tentiam ferre, de specie illâ defensionis altera, nempe  
 cum læsione alterius, quæ pari ratione licite exerceri  
 potest: occasionem tantæ difficultati faciunt, illa præ-  
 cipue, quæ allata sunt, in paragraphis hujus capititis  
 superioribus, 1:<sup>o</sup> & 2:<sup>o</sup> ubi ostensum est, æque pro-  
 ximum nostrum esse hominem ac nos, eodemque  
 jure & privilegiis eundem uti; præterea etiam, quem  
 admodum non minus alter frugi fortassis esse potest,  
 societati Civili seu bono publico, ac nos ita, quoque  
 illum, huic eidem subtrahendo, non minus delinqui-  
 mus, ac si nos ipsos, voluntariò, alterius submissemus  
 libidini. Quò & illud pertinere videtur, quam ma-  
 xime, quod non sint facienda mala, ut inde eveniant  
 bona; Malum autem, & qvidem Moraliter tale esse  
 videtur, alteri nocere, ut mihi bene sit. Nihilomi-  
 nus tamen dum revocamus nobis in memoriam, il-  
 la quæ qvoque antea annotata reliquimus, quod nem-  
 pe homini de vita sua, ceu commodato quodam divi-  
 no, non licet pro lubitu disponere, sed obligatione  
 qvâdam firmissimâ, eandem potius servare teneatur,

utique non veremur adlerere, ipsam naturam, aut humanam rationem, nullam homini stringentem dictare causam, quare innocens, & nullius imminens exitio, pravorum insultibus, quasi parata preda, impunè exponatur: cum nec multis tam mite, in immitti hacce mundi senectâ, Natura ingeneravit ingenium, ut vinculo, ceu obligationi naturali obedientes, aliorum abstinerent vitâ bonisque: licet proinde, ubi nullâ alia ratione periculum praesentissimum evitari potest, malum ab alio, & nobismet ipsis, & fortunis nostris intentatum, etiam cum machinantis internecione, prudenter avertere. Hoc autem jus, non oriri certum est, ex injustitiâ solum, aut peccati alterius gravitate; Sed primariò, ex studio & obligatione semet defendendi, adeoque insitâ illâ, in praecordiis cujusque Philautiâ sana; prout docte Hugo Grotius L. 2. cap. 1. §. IV. Thomam explicans, fatur; *In vera inquiens defensione, hominem occidi non ex intentione, non quod non interdum, si alia non suffpetat ratio, non liceat destinato id facere, unde mors aggressoris sit secutura; sed quod mors illa, non eligatur, ut quiddam primariò intentum sicut in punitione judiciali, sed ut unicum, quod eo tempore suffpetit;* Cum is qui impetus jam est, etiam illo tempore malle debeat aliquid facere, quo alter absterrentur, aut debilitetur, quamquo intereat. Num autem liceat nobis ab alio fugatis, in casu summæ necessitatis, innocentes obvios, ac resistentes, vel nisi dare, vel notabile aliquod inferre damnum, ut vita nostra, quæ aliter servari non posset in tufo collocetur? Illam quæstionem cum

cum plurimis aliis hoc in loco ventilari solitis, aliorum solertiæ, aliorumque relinqvimus enodationi.

## §. V.

**C**aeterum cum difficile valde sit, sub necessatis onere laborantibus, instigante Philautiâ, legitimos obser-  
vare limites, intra quos, jure inculpatæ tutelæ, sese defendere queant: Non itaque inconvenienter heic,  
loco colophonis, de terminis tanti favoris disqviramus:  
Hos verò haud sine cautâ, mensurandos esse, pro di-  
verso statu, in quo vivit homo, naturali nimirum & ci-  
vili, neminem latet; In statu enim naturali, juxta  
Moralistarum non infimæ notæ, sententiam, omnes  
ferè sunt æqvales, & nullus ab altero tanquam supe-  
riori dependet; nec opus est, ut ad alterius consilia,  
regimen ac autoritatem, dum aliqua hostilia aut noxia  
sibi ab eo parari sentit, si alias satis sufficienes, suas,  
ad vim illam repellendam, agnoscit vires, ullatenus  
se componat. In statu verò civili, qvia omnem suam  
voluntatem, supremo Magistratui submiserunt cives,  
non licet illo inconsulto, vel indiscriminatim, etiam  
ad justam, sive defensionem, sive ultionem, petulan-  
ter provolare; Standum itaqve hic semper iussui &  
sententiæ superioris: ubi vero in tantas qvis necissi-  
tatis redigitur angustias, ut nullo modo, vel fugâ sibi  
consulere poterit, vel auxillo Magistratus frui; uti-  
que præsumitur, vitam & bona sua, farta atque te-  
cta conservando, in pristinam relabi libertatem, ad-  
eoque

eoque semet, cum facultatibus suis, à malè feriato-  
rum hominum, justè vindicare injuriis.

## §. VI.

**S**ed jam intentionis nostræ scopus adest, ultra quem,  
filium hujus discursus extendere, hac vice consul-  
tum esse vix putamus; Priusquam tamen manum  
de tabula amovemus, non possumus non egregiæ  
illius Philautiæ amorem, gratiam, & gloriam, o-  
mnibus qvibus unqvac, divinitatis cultus, propria sa-  
lus, incolumitas publica & proximi favor, curæ cor-  
dique est, summoperè ac prolixissimè commendare;  
Qvin imò insuper vovere, velit summus ille arbiter  
rerum, ac incorruptissimæ charitatis fons & scaturi-  
go, DEUS, ut jucundissima illa Philautiæ sinceræ ger-  
mina, in quorumvis pectorum thalamis altas agant ra-  
dices, mellifluos producant fructus, latissimeque suæ  
svavitatis extendant brachia; qvò placidissimā ejus  
sub umbrā, in univerlo terrarum orbe, commune  
socialitatis servetur vinculum, requiescat in rebuspu-  
blicis fides, floreat in collegiis pax & concordia,  
inter omnes deniqve instar castissimæ Deæ, veneratione  
colatur religiola, amor & delitiæ generis hu-  
mani, Philautia recta.

TANTUM.

ETIN

# Min förtrogneste Heri MATHESI.

**M**ur kärlek mot sig sifl/förutan andras meen/  
Til Ehrbarheet och Dygd och billigheten  
hinner  
Och huru den af wett bestyrder öfwerwinner/  
Hug-retning/ och hwad slijkt olosligt är: I geen  
Tillåna wittert hår/min Wån/det witnar nog  
At Eder intre sinn ey oförnuftet hyser;  
Men at des sanna steen så tjdigt Eder lyser  
At man tyckz mögen frucht/ få af omogen skog.  
Jag fägnar mig utaf Ehrt manna-mogna wett  
Och önskar Ehr den Lön/som ådla Dygden kröner  
Sit trogna föllie med/ och at Ehr möda lönar  
Den liufwa Lyckans Wind med allstöns y-  
mogheet.

Pånes den 17. Septemb.  
Anno 1696.

Detta Ehr til rienst på resande Foote  
lemnar

JOSEPH Kluswensich.

---

Til sin förtrogne Wån/  
Heri N I C O L A U S M A T H E S I U S,  
Då han närvärande sin ungdoms Låhrespånn  
med allas nöje aslade;

**E**n den sin Sinnen rår/ ett sinrikt Wårk månd  
prisja/  
Et sammansanckadt alt af Ewighetens väl  
Som yttrar hur med slijt/ en rät beängstad Siäl  
Af

Af Himbla dråtten lag och rätter/ sig bör spissa.  
Slikst oß til sinnes förs i dessa lärda skrifter

En Skaparen allen och nästan hålla kår

Men ålfska sielf sig råt/ om sådant handlas här

Der min fortrogne Wän en Lag för Siels-kår stifter

Hwem Edert arbet seer/ den måst Ehr fljst berömma!

Fast iag en tecknar upp/ med hwad berömlig ijd/

I Salæ Muler sökt; men den tillkommand tjd  
Skal fägna sig at haa der af et efterdömmme.

Jag lemnar det/ och wil med tacksamhet bemöta

Min Wäns förtrogenhet/ den iag betygar här

Der til doch fiadren min/ en finner sig så skår

Som wilian/ medelst den iag mehr lärdt wänkap sköta,

Så länge Månen månd/ en wanlig andring taga

Så länge Solen får kring Himbrels runda gå

Ta och de tusend blåz oß väl uplysta stå

Skal intet awundz moln vår wänkaps steen förtaga.

Verade sin Wänkaps ständachrighee

HENRICH BRENNER

Hinderson.

---

Ad

Peregrinum Elegantia morum doctrinaqve Juvenem,

DN, NICOL A U M M A T H E S I U M,  
Conterraneum, & Amicum Integerrimum,

De Amore sui Licto eruditè disputantem,

Sardonychos, Adamantas, Jaſpidas atqve Sma-  
ragdos

Castaneasqve nuces & serica vellera portat

Ad

Ad nos, per terras, per saxa, per arma per ignes,  
Per mare Mercator; mediis dum fluctuat undis:  
Quid labor assiduus quid sedula cura MATHESI,  
Non faciunt tu tale probas, dum dexteritate  
Egregiâ monstras, proprii fundamina Amoris:  
Perge itaque inceptis sat palladis arte politis,  
Acceptum Musis opus hoc componere fas est,  
Hora citò veniet qvâ doctæ jure sorores,  
Cultori tribuent, formosæ frondis honores.

*Singularis amicitæ contestande cause  
hos versus accinie*

JOSEPH UHL-BÄCK.

---

Til detta lärda Arbetes  
Lärda Hopfogare och Förswarare.

Herr NICOL A U S M A T H E S I U S,

**D**et är ey ringa ting/ at kunna prydligt syncka  
Hin stora GUDens bild/som i år vår Siål och sinn.  
Märckwårdigt är och det/ der om at läggia winn/  
Hur man åhr hålla kan på kroppens vägnar lycka.  
Hvar om ett wackert værk I hafwen samman skrijsvit  
Med godt förstånd och fljt och af Ert wittra wett/  
Som mehr än mycket väl af værcket wärder seit!

För

För ån I detta wärck/ på papper har utdrifvit:  
För den skul faren fort/ En Förstling skal det vara/  
Til hwad wij wänta ån; th wägen är Ehr slätt  
På den I wandra må/ doch eh för mycket lätts;  
Ty omak och besvär I fåän en hår wed spara.  
Seen läfvar Pallas sielf/ på Pindi klint Ehr föra  
Der I med Frögdsam Lust/ fåän höra Ert verðm  
Och framgent spissas af den söta Castals ström  
Ehr tanckar främje GUD/ det önska Wij som höra.

GUSTAVUS CAJANUS.

G. F.

